



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

45. Aqua vice Dei ardet in lucernis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

iaceret captus, frustra satagentibus medicis in aliquod saltem eius morbi lenamen. Quare mitius aliquid desperans, vitæ residuum parabat in doloribus trahere, cum ecce tibi nocte quadam adest Xaverius dormienti placidissimo conspectu, monet in ædem suo nomine sacram deportetur; illic sua coram effigie vngatur oleo quo appensus ardebat lichnus, sic valetudini pristina reddendum. Ille vt diluxit monitis ad amissum pareret. Sed de suo adiungit, quod se ad limen ædis sacræ deponi iubet, ibidem hymnum in laudes Xaverij pangit; tum ad Sancti effigiem defertur, vngitur, mox toto corpore squamosis crustis lepra decidere; coire vlcera, reuiuiscere neruorum vigor; mundus denique, ac valens restituta sanitate frui. Altero vero ab hinc mense, festa Christianorum pompa, & adplausu, beatorum fonte lotus Francisci liberatoris sui delegit nomine vocari, seque illi eodem in templo ædituum dicauit.

Probrosa ethnici, nobilis capitis iactura, mæsti; vbicumque illum offenderent, sugillare; motum cerebro dictitare, exprobare animi leuitatem, quæ meritorum tot annos apud Deum, apud homines Magistri gloriam, & opinionem sapientis: Sectæ mutatione decoqueret, quid enim tandem in lege Christiana reperisse dignum hominis fide, mediocriter prudentis, nedum sapientia ipsius singulari? quibus vero Christianorum in templis, miraculum cerneret, aquæ olei vice perpetuo lucentis, vt in templis Pagodum?

45

Aqua vice
Dei ardet in
lucernis.

Est, enim hoc inter alia sexcenta, palmare mendacium quo fraus Brachmanum sacrilega, stolidum popellum in cultum dementat idolorum; fingunt aquam ardere pro oleo ante illorum simulachra, & Franciscus quidem illorum irrisiones & querimonias deridens, hoc solum aiebat, se inter illorum, & Christianorum legem notasse discrimen, quod hæc tota veritas esset; illa quanta quanta, purum, putumque mendacium. Hærebat attamen illius animo, de aqua olei pabulum lucernis præbente, optassetque ex vero de Christianorum Ecclesiis affirmare quod de Pagodibus ethnici confingebant. Eodem igitur ad hoc in sua Ecclesia tentandum impulsore, quo ad augendam Xaverij gloriam, & fraudulentiam ethnicorum confundendam agebatur, aquam sumit lustralem; lampadem ea implet, nouum impletæ indit ellichnium; de hinc ad sanctum conuersus (nam perinde cum eius imagine, vti cum amico familiariter confabulabatur) Expecto, inquit, commissurusne sis, te ab hostibus tuis vinci; noruut illi miracula fingere; tu fac sciant te vera edere. Accendo nomini tuo hanc lampadem, vt ardeat effice. Arsitque planè statim igni admoto; neque illa vna, sed altera, & tertia in quibus idem haudquaquam nutanti, sed præ lætitia gestienti experiri placuit. Tunc autem erumpere in oppidum, ethnicos quicumque occurrerent prouocare, ad spectaculum aquæ, in Christianorum Ecclesia non falso, vt eorum in templis, sed vere ac palam vice olei ardentis; Deum, & prodigij auctorem Xaverium laudibus tollere; pungere illos facilitate explorandi, quippe ab se narrari non distita, vel nullius oculis probata, qualia ipsi venditabant; in proximo

mo rem esse, nempe ad Sancti effigiem, adessent, & experirentur. Delirare his senex principio creditus; cætera, sibi cum belle constaret, & abesset locus aliquot tantum passus, accurrunt Christiani frequentes, & ethnici, vident, inspeçant, tangunt, aquam meram olei usum dare, fraudem nihilo fecius & præstigias veriti, præsertim infideles, ipsi per se rem experiuntur, simplici aqua, & nouis ellichniis lucernas aptant, quam multas cuique sua vel infidelitas, vel curiositas suggessit, quæ omnes pariter eodem miraculo arserunt, incensisque vna omnium animis prouoluti in genua Christiani; sublatis in caput ritu suo manibus ethnici, Sancti prædicant laudes, Christianorum Deum præpotentem magnificè celebrant; sparsa hinc prodigij fama per iunctam hoc promontorio vtramque oram, earumque mediterranea, peregrinos vndique ad sanctum Cotatensem (ita nominabant) magno numero acciuit, Mauros, idololatrias, Christianos, quibus sedulus, & gaudens ædituus miraculi præstantiam, nouis ab fatietatem experimentis commonstrabat, quam & pœtico cantu persecutus est eleganti, lateque per Indias solito decantari. Longum sit dicere quot modis quàm multorum vel pietas, vel curiositas hic sibi indulserit. Lichnos secum nouos quindecim tulerat Manaparensis Parauas, aquam omnibus infudit, omnes accendit, omnes aqua vidit vice olei ardere. Obtulit Antonius Caiadus plenos oleo sexaginta ob recuperatam, Xauerij dono, videndi facultatem, sed alios quinque probaturus & ipse miraculum, cum aqua concinnasset, dies quatuor solidos vidit perinde lumen ministrare, vt quos oleum alebat. Denique Bellarius Totius, ibidem quoque ædituus, quoties oleum defuisset aquam lucernis consueerat infundere, eaque semper lumen pro oleo nutrire. Nec minus mirabile quod multorum obseruatum est oculis, si quo casu extingui lucernas contingeret, accedentibus iterum accensuris, seipsis denuo seu ministerio potius beati genij omnes simul solitas reaccendi. Neque tamen hic thaumaturgus Apostolus, fixit beneficiis suis metam erga suum ædituum ac pœtam Peremalum: perstringo reliqua priusquam vterius pergo.

Sæuus illum quandoque intestinorum inuasit dolor, & cassis penitus ad eum leuandum remediis, coram Xauerij consistens imagine ferre potes, ô Pater, inquit, æditui tui, tibi diu noctuque solliciti, tam acerbis cruciatibus diuelli viscera: nec manum admoues salutarem? paucis his confidenter queri desierat, simul desit dolor nullo in posterum eius sensu. Sequitur lepidum, atque vt leue sit, minimè omittendum. Die quodam artosum à muribus conopæum Altaris cum deprehendisset, & ex triplici plaga bene grandi coniiiceret minoris bestię non fuisse id crimen, neque aut grandem muscipulam, aut eius instruendæ haberet artem; constitit, vir simplicissimus, ad Sancti altare subiratus, & his illum verbis affatus est (quæ ipsemet testis, in actis iuridicis à se ita concepta dictauit) Aiunt P. Francisce obiisse te apud Sinas; te Sanctum fuisse; corpus tuum Goæ putredinis expers integrum asseruati; tui vero templi ædituus ego sum.

P p

sum.

46

Alia ibidem mirac. in gratiam ægrot; nauarum ficientiũ; nauigantium; piscatorum.